



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ivlii Cæsarisi Scaligeri Epistolæ & Orationes

Scaliger, Julius Caesar

Lugduni Batavorum, 1600

LI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70455](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70455)

a me contaminari, quæ a simplicissimo animo instituta, non mutari, quæ a constantissimo viro profecta, non opprimi, quæ a lenissimo ingenio conseruata esset. Neque tam me fatuum existimes, quin potius in te culpam sublatae necessitudinis, quam in me suspicionem læsæ intelligi velim. Nihil enim mihi iucundius, quam haberi vnum ex bonis, & apud bonos, quorum te semper principem prædicaui. Vnum abs te peto, vt credas mihi neq. fatis eloquentiæ ad animum meum declarandum, neque fatis ignauix ad ferendas similitates, neque fatis fortunæ ad reprimendas improborum impressiones: sed fatis officiorum ad amicitias, comparandas, fatis dexteritatis ad retinendas, fatis animi ad reddenda vel beneficia vel maleficia esse.

* * *

L I.

Q V E M diem vehementer ego, semper veritus fueram, in quo mihi humanitate tua atq. auctoritate abutendum esset: tu autem mirum in modum exoptare dicebas, vt aliquando fieret, cum amorem erga me tuum, atque officium diligenter ostenderes, obtulit nostrum vtrique fors quædam,

M

VE

vt iam omnes sentire atque intelligere possint, neminem vnquã frustra fuisse, qui literatorũ spesq. opesq. omnes tuo in sinu tuoq. sub præsidio collocatas iudicarit. Nihil tale cogitantem more suo atque instituto veteres Coss. nuper me Consulẽ designarunt. Ea res animum perculit inuidorum quorundam, qui non solum virtutem, quam oderunt, contemptui habent, verum etiam peregrinam nobilitatem, quam a se alienam atque abhorrentem negligunt, inter suas sordes nequeunt pati. Concitarunt igitur clandestinis atque nocturnis conuenticulis magnam manum plebeiorum, quorum iussu huic Consulũ decreto intercederetur. Quæ res cum acerbissimis odiis summisque contentionibus exagitata esset, eo cessit, vt primores ciuitatis eiusdem decreti fierent auctores, quod semel Consulibus recte visum riteque factum erat. Quam ob causam cum quatuor antea inimico animo aduersus nos essent, tres destiterẽ, vnus adhuc pristinis furiis agitatus fertur. Fortasse quæras cuiusmodi Cato is sit, aut Curius, aut Maximus? quem neque forma, neque gratia, neque genus, neque probitas commendare potest: adeo ab omni auersus modestia atque ciuilitate, vt nihil hominis
ac ne

ac ne faciem quidem præ se ferat: vanus ac
futilis, æque suorum vitiorum iactator, atq.
alienæ gloriæ contemptor. Qui cuiusmodi
complices atque populares habeat suæ im-
probitalis ne dissimulare quidem potest;
cum neque ipsi palam rem hanc agere ausi
sint, neque is eorum nomina vel apud iudi-
ces profiteri. Ita verentur quorsum euadat
tam improbum consilium, vt ne victoriam
quidem sperare audeant, cum eum nacti
sint patronum, quem nec publice sequi di-
gnum ducant: eam causam foueant, in qua
nec nominari patiantur. Quamobrem, op-
time atque doctissime atque integerrime
vir, obsecro te atque obtestor per omnes
numeros omnium virtutum tuarum, spesq.
omnium nostrum in te sitas, vt tua opera
intelligant omnes, improborum audaciam
atque temeritatem non solum fractam, ve-
rum etiam oppressam esse, tuaque gratia at-
que auctoritate agnoscant; non plus esse
apud improbos atque seditiosos insolentia;
quam in te probitalis atque integritatis:
cuius iudicio nunc subleuata, dehinc ob-
noxia perpetuo atque deuincta tota ciuitas
sit, quæ in tuam clientelam sese suasq. opes
dedit atque commendat.

M 2

S E N A